

tum creverit, non fuit in causa seminator, nec defectus solis aut pluviae, sed defectus agri. Unde Chrysostomus, homil. XLV. in Matth. ait: *Pars seminis amissa est, non seminantis causa, sed suscipientis culpa terræ, etc.* Aliquorum est enim ingens cæcitas, qui diligunt magis spinas divitiarum et voluptatum, quam rosas verbi Dei. Tametsi vero sciunt et experiuntur divitias et voluptates spinas esse in acquirendo, retinendo, perdendo, et animum ad plurima peccata illicere ac prope modam trahere; præterea perpetuum in conscientia remorsum gignere, nec beare hominem ulla ratione posse: nihilominus quando verbum Dei auditum cum divitiis et voluptatibus eorum pugnat, divitias præponunt verbo Dei, quod solum potest salvare animas. Quis hoc non cernit fieri passim his temporibus ubi pro lucro et divitiis curritur, equitatur, navigatur non tantum ferialibus, sed festivis etiam diebus, neglecta interim s. missa, concione et salutarium sacrorum usu? Quid hoc est nisi spinas arripere, rosas negligere? Et quis parentum non clamat contra filium, videns eum pro pila arripere cultellum acutum, quo velut cum pila ludat? Cultellus acutus sunt divitiæ et voluptates, quibus plerique hominum, dum ludunt, gravissime et sæpissime se vulnerant.

Aliorum est supina negligentia, qui vel pedem levare nolunt cum proxime ecclesiam habitent, ut verbum Dei audiant, vel ut auditum in corde servent, domi ruminant et in opus redigant, sed mox effluere de memoria sinunt, satis sibi esse putantes, quod concioni interfuerint et aures adhibuerint. Et hi quidem juxta viam cœli sunt, id est, prope illam; sed non via ipsa, quod magis deplorandum et clamoribus arguendum. Quemadmodum enim sine dubio magis arguentur in judicio magisque in seipsos fremunt in inferno Christiani, quod in Ecclesia, juxta viam salutis fuerint educati, eam agnoverint, adeo tamen vicinam et notam ingressi non sint, quam infideles, qui longe ab ea distabant; ita magis etiam objurgandi sunt clamoribus, qui cum plurimas occasiones habuerint indagandi viam cœli adeoque juxta eam sederint, interim tamen non quæsierunt. Quod idem dicendum de iis, qui auditum Dei verbum et concepta bona proposita tam facile iterum elabi sinunt, obliviscuntur aut suffocant: sicut miserior et reprehensibilior est, qui frustra laborat, quam qui omnino non laborat. Clamat igitur Dominus ne quis seipsum decipiat, putando satis esse quomodocumque audiat verbum Dei. Quid quæso dicemus, si quem videremus pretiosum vinum dolio infundentem, aperto infra epistomio, unde vinum omne ite-

rum mox efflueret? Nonne eum objurgaremus clamoribus: Quid facis, insane? Quid ita vinum perdis? Claude inferius canalem, unde vinum effluit, quod infundis. Atqui hoc ipsissimum faciunt, qui verbum Dei non retinent, nec opere exercere student, sed satis sibi existimant, si audierint; similes illi Balthasari, qui audiens a Daniele interpretationem divinæ contra se scriptæ sententiæ, Danielem quidem admiratus est et honoravit: interim tamen non ingemuit, non oravit, non pœnituit, Dan. V. Certè pecuniam nostram in marsupio diligenter obligamus, ne effundatur: verbum autem Dei auro et topazio præstantius sinimus mox effluere, velut clepsydre arenam.

Aliorum est indurata malitia, qui etiam verbo Dei salutifero resistunt et omnem præcludunt aditum, nolentes instrui vel ob vitia taxari. Et hi petrosus cor habent, quemadmodum Judæi illi, qui instar aspidis continuerunt aures suas, ne audirent Stephanum prædicantem et scelera eorum arguentem, Act. VII. Plane omnium dignissimi, qui clamoribus objurgantur tamquam surdastri et a Deo longe remoti: quemadmodum et filius æger merito redarguitur a matre, qui nullum admittit vult pharmacum, nullum cibum. Novi virum manica laborantem, qui aliquando traditus custodiæ, fores obstruxit ne quis ad eum ingredi et cibum ei afferre posset: qui et periisset nisi vi effractæ fores essent. Nihil aliud faciunt, qui verbo Dei resistunt idque admittit nolunt. Obstruunt enim Deo optimo parenti et medico fores, ne ad se intrare sibi que cibum et medicinam afferre possit: nonne igitur clamore et reprehensione digni? Venit aliquando Christus (qui quacumque ibat, ægros curabat, beneficia spargebat, et ut apostolus ait: *Pertransiit bene faciendo*) ad portas Samariæ, ingressurus civitatem, haud dubie ut eos doceret, curaret, salvaret, etc. at cives non receperunt eum. Ob quam vesaniam indignati filii tonitruum Jacobus et Joannis tonare cœperunt contra eos, et dicere: *Domine, vis dicimus ut descendat ignis de cælo et consumat illos?* Luc. IX. Jam vero quam multi tales, qui cum incipit concio, incipiunt dormire et ad somnum se componere, vel alia impertinentia legere, aut aliis cogitationibus mentem occupare, aut omnino e templo egredi. An vero hoc non est Christo fores obstruere? Annon clamore dignum?

IV. Propter certissimum et gravissimum periculum, imminens iis, qui non habent aures audiendi verbum Dei. Vidit enim Christus tales illi ipsi periculo expositos esse, in quos ceciderunt semina in terram malam jacta. Unum illorum

cecidit secus viam et conculcatum est ac devoratum a volucribus: aliud cecidit inter spinas et suffocatum est: aliud supra petram et aruit, quia non habebat humorem. Hoc totum eveniet etiam homini, qui verbum Dei non audit sive corporis sive cordis auribus. Qualis enim est virtus vegetativa arboris, talis est et arbor: et quale est verbum Dei in homine, talis et homo. Igitur qui verbum Dei non audit, nec prout decet, in via sæculi est omnibus peccandi periculis expositus: sicut arbor juxta viam posita prætereuntium verberibus. Cor habet omnibus pervium erroribus imo dæmonibus ipsis et conculcatur, quia destitutus armis spiritualibus, a tentationibus quibuscumque facile vincitur et victus calcatur, tandemque a dæmonibus devoratur, qui in via perditionis est. Idem etiam suffocatur a sæcularibus negotiis, a quibus per verbi Dei auditionem respiramus et vires animæ colligimus ne opprimamur. Idem denique arescit et omnibus bonis cogitationibus, desideriis et consiliis destitutus paulatim deficit et arescit, juxta id Ps. CI. *Aruit cor meum quia oblitus sum comedere panem meum.* Quæ omnia vidit Christus, etsi tu fortasse non vides: propterea clamavit ut a tam grandi periculo te eriperet. Quid enim tu faceres, si videres viatores equites flumen trajicientes loco periculoso et a vado ordinario aberrantes: quid inquam diceres, si videres unum post alterum flumen adæquitantem et absorberi et perire? Nonne clamares: *Hæc itote, hic vadum est: illic vortex et exitium!* Consimiliter fecit Christus, qui cum videret plebsque homines aberrare a vado, et sequi vortices ac præcipitia, dum sequuntur fere solum divitias, honores, voluptates; verum autem cœli tramitem, Dei videlicet verbum negligunt, a flumine absorberi et in præcipitia certim ruere: ideo clamavit in hac parabola: *Qui habet aures audiendi, audiat, q. d. qui secure vult trajicere fluvium tentationum hujus vitæ, sequatur vadum verbi Dei, ubi aqua clara et minime profunda ostendit fundum et securos ad cælum ducit.*

V. Ad contestandam innocentiam suam, nostram vero culpam et justissimam punitionem, si non audierimus: ut qui nihil non fecerit ad rem tam necessariam nobis persuadendam, juxta id Psal. LXVIII. *Laboravi clamans, rauce factæ sunt fauces meæ.* Ita enim et Moyses ante mortem suam audientibus omnibus Israelitis, ac proinde clamore magno eos contestatus est ut observarent legem Dei, Deut. XXXI. et XXXII. ita incipiens: *Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Igitur eo clamore Dominus lavat manus suas super nos contestans se nos serio monuisse ut audiremus Dei verbum; et propterea minime nos

excusandos in judicio, juxta id: *Si non venissem et locutus fuisset eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo,* Joan. XV. Hoc ipsum etiam facere præcepit apostolis sub alio ritu Matth. X. dicens: *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis tolerabilius erit terra Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii quam illi civitati.* Hoc enim facere præcipit in testimonium supra illos ut indicarent se innocentes omnem culpam in illos rejicere, qui audire eos noluerunt. Unde Luc. X. dicitur: *Dicite: Etiam pulverem qui adhesit nobis decivitate vestra extergimus in vos.* Quare in vos, ait? Ut ita testentur apostoli ipsorum culpam, suam vero innocentiam. Ad eum modum, quo quis reum supplicio plectendum, hortatur ad pœnitentiam, quem ubi obstinatum videt et inflexibilem, tandem clamoribus eum aggreditur et testatur se innoxium fore circa ejus damnationem in judicio omnemque culpam in dorsum ejus rejicere, imo coram Deo in judicio se accusaturum illum. Hoc est quod clamat Christus et prædixit Prov. I. *Vocavi et renuistis: extendi manum meam et non fuit qui aspiceret. Desperastis omne consilium meum, increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et*

CONCIO VIII.

PATIENTIA SUADETUR IN ADVERSIS.

I. Christianorum est pati. — II. A Deo provenit tribulatio. — III. Fructus tribulationis. — IV. Exempla patientiæ. — V. Tribulatio brevis est. — VI. Merces æterna est. — VII. Impatientiæ malum

THEMA.

Hi sunt qui in corde bono et optimo, audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia.

Luc. VIII.

Magnum quidem bonum est, recepisse verbum Dei in corde bono et optimo; siquidem multi homines vel id non recipiunt, vel inutiliter recipiunt, utpote in corde saxoso vel spinoso; non idcirco tamen existimare debemus salva jam esse omnia nisi cor nostrum patientia munitum sit. Ut enim sat non est, semen in agrum jactum ab eoque receptum esse, siquidem multæ adhuc tempestates cœlique injuriæ sustinendæ sunt: ita sat non est, recepisse verbum Dei. Multæ enim adversitates occurrent homini christiano, quibus si succumbat, fructum nullum faciet. Has igitur

ut invicto perferamus animo, pensanda sunt quae dicemus.

Culmi segetum piura habent internodia, quibus firmantur contra tempestates ne fracti inarescant. Ita homini tribulatio media adhibenda sunt, quibus consolidetur ne frangatur adversitate. Horum aliqua afferamus; nam omnia quis posset?

I. Cogita Christianorum esse proprium, multa adversa pati, juxta id apostoli, II. Timoth. III. *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*, id est, tribulationes, ut intelligit S. Augustinus, qui etiam in Ps. LV. ait: *Si putas te non habere tribulationes, nondum cepisti esse Christianus*. Non enim ita redemit nos Christus, ut nihil adversi pateremur, omniaque prospera haberemus, uti Judaei sperabant de Messia: sed ut adversitates per patientiam superare possimus. Ergo sicut natura non petit ut nullae omnino tempestates sint, sed curat ut in tempestatibus bene regat navim: qui domum aedificat non vult ut nunquam pluatur, sed curat contra pluvias munire domum tecto, etc. ita Christianus non debet velle ut nullae veniant tribulationes, sed ut eas patienter norit ferre et superare. Audiamus rursus apostolum, I. ad Thessal. III. *Nemo moveatur in tribulationibus istis*, inquit, *ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus*: videlicet quasi scopus sagittariis propositus: et S. Petrus, ep. I. c. IV. *Nolite peregrinari in fervore* (ne admiramini in ustione) cum scilicet per ignem tribulationis examinamini, nolite rem hanc existimare peregrinam. *Quid enim mirum est*, inquit Salvianus, I. III. *de providentia, si mala cuncta perferimus, qui ad toleranda universa militamus?* Certo Julianus apostata, cum a suis Christiani vexarentur, conquerentibus apud se respondit: *Vestrum est ferre, cum afflictamini, hoc enim est Dei vestri mandatum*, Socrates, I. III. hist. eccl. Maligne quidem, sed verissime; Christus enim dixit: *In mundo pressuram habebitis, etc.* Joann. XVI. Mutius Scaevola dicebat: *Fortia agere Romanum est*. Verum Christianus dicat: *Fortia pati christianum est*. Imo in hoc consistit gloria Christianorum, uti et in spe futurae retributionis: *Gloriamur in spe gloriae filiorum Dei: non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus*, inquit apostolus ad Rom. V.

II. Cogita a Deo, ejusque suavi et paterna providentia tribulationes tibi immitti, adeoque primo, non ex odio, sed ex amore. *Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit*, ad Hebr. XII. Citat apostolus Sapientem, et ex Hebraeo aliter vertit. Sapiens ait: *Quem diligit Dominus corripiet, et quasi pater in filio com-*

placet sibi, Proverb. III. Nimirum sicut Assuerus rex amans Vasthi uxorem suam et in ejus pulchritudine sibi complacens cogitavit ejus decorem ostentare principibus et populis, volens honorare eam, Esth. I. ita Deus virtutem tuam vult hominibus notam facere et probare palam variis tentationibus. Pater non flagellat filium, sicuti solet carnifex, ut filius moriatur, sed ut corrigatur: ita et Deus filios suos.

Secundo, certus esto, non tribulandum te ultra vires: *Fidelis Deus! Qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis*, inquit apost. I. Cor. X. Et Psal. CXLVII. dicitur dare *nivem sicut lanam*, sive quia per modum et proportionem lanæ immittit frigus, ut non sit importabile: sive quia in frugum utilitatem dat nivem, qua velut lana tectæ foveantur. Pueri et studiosi optarent perpetuam serenitatem, nullas pluvias, nullum gelu, nullam nivem, sed non ita rustici, qui norunt hæc conducere frugibus. Romani non committebant inter se gladiatores nisi viribus pares; et putamus commissurum Deum, qui de asinis sollicitus præcepit ne bobus jungerentur in aratro (utpote opprimendi a longe fortioribus) Deut. XXII. ut oneretur homo supra id quod ferre potest?

III. Cogita fructum maximum, quem affert tribulatio. Quemadmodum enim via solis obliqua, qua modo accedit ad austrum, modo ad septentrionem, causa est generationis rerum, teste Aristotele, ita varietas divinæ visitationis, qua modo ad nos accedit per beneficia, modo a nobis recedit per tribulationes, malos hominum mores exterminat, bonos vero plantat. Cum enim in æstate prosperitatis facile et cito pervertantur homines, tum immittere incipit hiemem adversitatis, morbi, pestis, belli, famis, etc. quibus velut scopis purgantur homines moresque reformantur et velut frigore brumali exuruntur herbae, id est, omnis generis vitia. Et quid mirum, si Deus subinde hic puniat peccata nostra, cum nos servis nostris indulgere non possimus, quin delinquentes mox puniamus? Rursus sicut ventus dum agitat segetes, firmat earum radices: ita tribulatio facit hominem exercitatum et ad omne tentationum genus invictum. « Non est arbor solida et fortis (inquit Seneca, I. de providentia,) nisi inquam frequens ventus incursat; ipsa enim vexatione constringitur et radices certius figit: fragiles sunt quæ in aprica valle creverunt: sic ad ferenda adversa fragiles sunt, qui non fuerunt exercitati usu malorum. » Ad hæc potes his quasi aureis monetis solvere innumera debita tua. Eruditus tribulatione, potes consolari alios. Per eam potes omnes tuas passiones convertere in aurum, longe verius,

quam per lapidem philosophicum, quem jactarunt aliqui, sed nondum demonstrarunt. Denique: *Sicut apibus mel præbet thymus*, inquit Plutarchus, I. I. de animi tranquil. *acerrima et aridissima herba, ita homines cordati e rebus adversissimis conveniens aliquid et commodum decerpunt*.

IV. Exempla cogita aliorum hominum, qui et ipsi tribulantur, interim tamen strenui et invicti sunt. Nemo enim est quantumvis in hoc mundo magnus, qui non habeat, quod patiat. Et si tibi quidem nihil pati videantur, inde est quia ipsi patientes et instar Aod, ambidextri sunt, Judic. III. ad utramque fortunam ferendam robusti.

Igitur si parens es, liberos habens immorigeros, contemplare Davidem, cui filius incestuosus, Ammon; parricida fratris et proprii regni insidiator erat Absalon. Si asperior conjux, aspice Jobum et Tobiam, qui uxores tolerarunt sibi improperantes. Si ægritudine detentus, intue Jobum, Lazarum, paralyticum illum triginta octo annis summa cum patientia jacentem ad piscinam. Si bonis aut liberis spoliatus, vide Jobum utrisque exutum.

Si a subditis male tractaris, vide imperatorem Mauritium, qui a Phoca milite suo, supplicio affectus una cum filiis, id non solum patienter tulit, verum etiam Deo gratias egit, dicens: *Justus est Domine, et rectum judicium tuum*. Si a servis vexaris propriis, vide Irenem imperatricem, quæ a servo suo Nicephoro afflicta, patiens fuit. Si ab iniquo et ingrato domino premeris et exagitaris, cogita Jacobum patriarcham, qui socero suo Laban cum fidelissime serviisset, ad extremum tamen præter mercedem decies mutata, asperam objurgationem ac pene verbera retulit: omnia tamen hæc per patientiam superavit.

V. Cogita tribulationem non fore perpetuam, sed primo brevi compensandam aliqua consolatione. Id imprimis videre est in Josepho patriarcha, qui odio habetur a fratribus, sed amatur a patre. Venditur et a fratribus, deinde ab Ismaelitis, sed invenit gratiam apud dominum suum Putipharem. Rursus accusatur perperam a domina et mittitur in carcerem, sed invenit gratiam apud custodem carceris. Oblivioni traditur a pincerna, sed invenit gratiam apud ipsum regem. Id ipsum cernere est in Josepho altero Christi nutritio. Consternatur et afflictaur, cum videret uterum sponsæ intumescens, sed instruitur et confortatur ab angelo: excluditur a diversorio, sed in stabulo visitatur a regibus: quæritur ab Herode, sed angelo duce

servatur et mittitur in Ægyptum. S. Petrus in carcere detentus et brevi ducendus servatur ab angelo. S. Paulus Jerosolymis mulctatus pugnis et verberibus, nocte insequente recreatur voce Christi, Act. XVI. Lystris flagellatus, nocte sequente vinculis expeditur, carcere toto illustrato, Act. LXXII. David post tribulationes suas regno restituitur; Job omnia duplicia recipit; Jacob cum duo turmis regreditur; Lazarus in sinum Abrahæ portatur. Deinde, mala illa cum morte saltem finienda esse, quæ miseris optatissimum est asylum. Quare ut velles semper esse miser, non posses. *Adhuc modicum* (sustinete), ait apost. ad Hebr. X. *qui venturus est veniet et non tardabit*.

VI. Denique, mercedem æternam compara cum tua tribulatione. Quidquid hic perdideris, reddet tibi Deus ibi maximo cum fœnore. Audite adolescentem illum, II. Macch. VII. tyranno Antiocho loquentem: *E celo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero*.

Videte adolescentes ethnicos, quid pro vana gloria pati ausi sint. Scribit enim Plutarchus, in Lacon. mira de Laconum pueris. « Pueri, inquit, apud Lacedæmonios in ara Dianæ, cui ab incredibili virtute cognomen Orthiæ, flagellis quotannis stato festo ex more totum diem cædebantur, itaque frequenter durabant ad mortem usque hilares ac læti concertantes inter se de victoria, quis ipsorum diutissime fortissimeque toleraret verbera: unde nec gemitum nec vocem dabant, nec scapulas aut corpus contrahebant; tantum ad hoc ut victoriæ hujus nomen et decus obtinerent. » Quid jam facial Christianus, cui non inanis hominum laus et gloriæ rumusculi, sed æterna in caelis gloria lausque, ab ipso Deo, angelis et hominibus promittitur? Id enim scribit Jacobus, c. I. epistolæ suæ, cum ait: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ*. *Beatus*, inquit, quoniam patientia non obscura quædam tessera est prædestinationis ad salutem, ut indicari videtur, Ezech. IX. ubi ab angelo percutiente incolumes fuere viri gementes et dolentes, quorum fronti inscriptum fuit signum Tau; quod crucem et patientiam crucis ac dolorum denotat. Ut ergo nobiles olim dignoscebantur ex bulla aurea de collo suspensa et nostro tempore ex torque aureo: ita electi cognoscuntur ex patientia. Nam ut S. Leo, ser. IX. de quadr. ait: *Certa atque securæ est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis*.

VII. Quæ omnia nisi tibi sufficiant, cogita ad

extremum, quid lucreris tua impatientia, aliud sane nihil, nisi ut imprimis prodas tuam insipientiam, qui nihil omnino pati queas, adeoque passionum tuarum servus sis. Ita enim Spiritus sanctus per os Sapientis, Prov. XIV. locutus est: *Qui patiens est, multa gubernatur sapientia; qui autem impatiens est, exaltat* (id est, manifestat et ostentat) *stultitiam suam*. Cum enim impatientia victus incipis tonare, furere, expallescere, praesertim in re leviuncula, tum incipit tibi asinus de manica prospicere, quem licet tu non videas, vident tamen alii. Deinde tuo murmure et impatientia malum tibi conduplicas, tantum abest ut tollas. Praclare Jeremias, Thren. III. ait: *Quid murmuravit homo vivens; vir pro peccatis suis? Vult dicere, (ut ex praecedentibus colligitur) cum punitur homo, non excuset se accusando fatum, fortunam aut Dei voluntatem; sed accuset se, quia punitur pro peccatis suis. Non murmuret homo vivens, quia in hac vita citra condignum punitur et calicem bibit inclinatum ex hoc in hoc, seu temperatum misericordia: non item in inferno, ubi damnati bibent faecem nunquam exinaniendam. Gemant ergo inferi, murmurent damnati, non murmuret homo vivens. Rursum nonne universa vanitas omnis homo vivens? Cur ergo Deo universae veritati universa obmurmurat vanitas? Seneca, gentilis homo, vidit hoc quod dicimus: ait enim, ep. CVIII. *Optimum est pati quod emendare non possis, et Deum (quo auctore cuncta proveniunt) sine murmuratione comitari. Malus miles est qui imperatorem gemens sequitur: et rursum, lib. de provident. Quid est boni viri? Praebere se fato. Quid jam dicant Christiani: nonne id Davidis: Cognovi, Domine, quia aequitas judicium tua et in veritate tua humiliasti me?* S. Clemens papa tertius post Petrum narrat in libro recognitionum se conversum a S. Barnaba, missum fuisse ad S. Petrum, ut ab eo in fide plenius erudiretur. Ivit ergo Barnabas et audiit a S. Petro, veniret postero die ad disputationem cum Simone mago instituendam. Interim magus inducias ad triduum a Petro petiit et impetravit. Indoluit hac de re Clemens Petri audiendi desiderio. Cui S. Petrus: «Gentiles, inquit, turbantur, cum res non accidunt ex voto, uti desiderant: at nos Christiani, qui scimus Deum gubernare et moderari res omnes, in quolibet rerum eventu in pace consistimus et consolatione. Scite has inducias Dei consilio dari ad tuum bonum, ut scilicet interim te praeparem ad futuram disputationem quo eam melius et plenius capias.» Consimili modo dico ego: Scito, Christiane, tribulationem Dei consilio dari tibi ad bonum tuum, ut per*

eam praepareris ad futuram felicitatem: quam tibi ex animo precor.

CONCIO IX.

DOCUMENTA.

I. Audiendum: 1. Verbum Dei. 2. Doctores. 3. Concionatores quosque legitime missos.—II. Tacendum: 1. Cum excusare vis culpam, tuam. 2. Cum accusare vis alium. 3. Cum Scripturam non intelligis. 4. Cum quid boni egeris. — III. Ferendum: 1. Quodvis infortunium. 2. Incurribiles adversarios. 3. Calamitates.

THEMA.

Qui habet aures audiendi, audiat. Luc. VIII.

Inter Ismaelis filios, speciatim tres notantur et copulantur Genes. c. XXV. Masma, Duma et Massa. Neque sine causa, Masma enim auditum significat, Duma silentium, Massa tolerantiam. Quare ea fratrum nomina Hebraei proverbialiter enuntiant: *Masma, Duma, vel Massa*; quo significare volunt, viro bono multa audienda, tacenda et ferenda esse. Huic doctrinae, auditores, ut nos quoque conformemus, seligemus ex hodierno evangelio aliqua (nam potiora alibi diximus), quae nobis audienda, alia quae tacenda, alia quae ferenda sunt.

I. Audiendum est primo, verbum Dei et quidem sicut decet, attente, utiliter, obedienter. Hoc enim sibi voluit Dominus, cum clamavit: *Qui habet aures audiendi, audiat*, hoc est, non segniter, non frustra. Ut enim cervi cum erexere aures, acerrimi auditus sunt: cum remisere, surdi sunt, teste Plinio, l. VIII. c. XXXII. Ita multum interest, utrum arrigas aures, an demittas: utrum graviter, an segniter audias Dei verbum. Priore casu plurimum, posteriore nihil proficies; sane in hodierna parabola propterea sementis jacta fuit, ut fructum faceret: atqui hic idem finis est omnium concionum. Et tamen multi reperiuntur, qui persuadent sibi satis se superque festivo die fecisse, si audierint concionem, etiamsi nunquam cogitent quomodo operibus praesent, quae pro concione dicta sunt: quod aliud non est, quam sementem quidem jacere, sed messem non curare: aliud non est, quam imperata heri percipere, sed ea nolle facere. Audiendum praeterea patienter, non perturbandus concionator, tametsi aliqua in medium affert, quae tu non intelligis. Sic enim et discipuli licet hodiernam parabolam non intelligerent, non tamen cursum orationis Christi interruperunt, sed postea cum esset solitarius

seu singularis, ut ait Mare. c. IV. interrogaverunt eum, quid ter sibi vellet haec parabola.

Secundo, audiendi sunt doctores, cum quid in rebus fidei minus intelligimus. Hoc enim fecerunt apostoli, qui cum non intelligerent parabolam Christum interrogarunt: non calumniabantur, non irridebant, tametsi eam non intelligebant, sed expositionem querebant. Tu ergo cum quid saluti tuae necessarium vel conducens non intelligis, ne erubescas interrogare tuum confessarium vel pastorem; quandoquidem Christus quoque cum esset duodennis, audire et interrogare doctores in templo voluit, Luc. II. Potuisset Dominus parabolam motu proprio explanare, sed expectare maluit, donec hoc ab ipso peterent discipuli, partim ut cum merito suo, partim ut avidius explicationem arriperent. Sed multi maluit, in tenebris errorum et ignorantiae vivere, quam interrogando meritum et lumen veritatis sibi parare.

Tertio, audiendus quicumque concionator legitime missus, tametsi malae viae sit. Ob hanc enim causam videtur Dominus, qui semen, terram, spinas, volucres aliaque omnia exposuit, noluisse explicare quisnam esset seminator. Qualiscumque enim ipse sit, modo legitime vocatus, semen bonum jaciat: hoc vel uno audiendus est, et credendum Deum esse, qui ex ipso loquitur. Noli attendere ad saccum, cum frumentum emis; nec ad dolium cum vinum; parum ea emptori conferunt, parum et nocent.

Sed quid de illis dicendum, qui verbum Dei fastidiunt et vix unquam corde suo recipiunt? Id nimirum Prov. XXIV. *Per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti: et ecce totum repleverant urticae*. Ut enim jure ab omnibus reprehenditur et puniri potest, qui pigritia victus agrum suum negligit conserere: ita etiam redargui adeoque puniri ab Ecclesia potest, qui agrum cordis sui non excolit semine verbi divini. Ac sicut in agro inculco mox protuberant spinæ, urticae et herbae inutiles; ita crescunt vitia in contemptore verbi Dei.

II. Silendum est primo, cum ingerit tibi mens, quasi non tua culpa, sed aliorum, pereat in te semen bonum. Audis enim periisse semen, non ob defectum satoris, qui undique seminavit: nec ob defectum seminis, quod uniforme fuit: nec ob defectum solis aut pluviarum, quorum nulla sit mentio, sed ob indispositionem terræ, hoc est, auditoris, qui vel nimium implicatus est negotiis terrenis adeoque in via publica constabiles conculcatur: vel curis, divitiis et voluptatibus intentus et hisce spinis suffocat semen:

vel longa peccandi consuetudine cor induratum gerit et ita inflexibilis evasit. Noli ergo dicere: *Nemo me conduxit*, vel: *Hominem non habeo qui mittat me in piscinam*, vel: *Sol intelligentiae non luxit mihi*, vel: *Metis, Domine, ubi non seminasti, et colligis ubi non sparsisti*. Ubique enim seminat Deus, omnes conducit in vineam suam, solem suum oriri facit super bonos et malos, adest omnibus se invocantibus. Tace ergo et tibi imputa, si perii in te semen verbi et inspirationis divinae.

Secundo, cum suggerit tibi cogitatio, quasi stulte egerit sator, qui in viam, spinas, petram jecit semen suum. Hoc enim in semente naturali vitium quidem esset, sed non item in semente verbi divini: quia si quis homo ejusmodi sterilis terra est, voluntarie talis est, et potest cum Dei gratia sese emendare, fierique terra bona quod nequit efficere terra naturalis neque ejus cultor. *Potens est autem Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamae*, ait Baptista, Matth. III. Et quemadmodum terra promissionis per abductionem populi in captivitatem, facta est horrida, sterilis et deserta; post reductionem vero ejusdem iterum exulta et fertilissima reddita, uti prophetavit Ezech. c. XXXVI. dicens: *Terra illa inculta facta est ut hortus voluptatis*, Hebr. *ut paradus Eden*: ita etiam quisvis homo, qui per peccatum abductus in servitute demonis, senticosus, saxeus et sterilis evasit, si redierit ad se per poenitentiam, evadere terra fertilis et paradus potest; idque contigit latroni, Magdalena, Paulo, etc. Neque etiam dicas, tuae potestatis aut voluntatis hoc non esse facere, sed Dei solius; dico enim tuum hoc esse cum Dei gratia praestare. Ita enim scribit apost. II. Timoth. II. *In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea sed etiam lignea et fictilia* (id est, in Ecclesia sunt boni et mali) *et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam. Si quis ergo se emundaverit ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum et utile Domino, etc.* Potest ergo seipsum homo (Deo adjuvante) ita emundare a peccatis et sordibus, ut e vase contumeliae fiat vas honoris, e ligneo aureum, e matula phiala. Expertus id in se est Paulus, qui ex vase iracundiae spirante minas et caedes, excepto semine verbi divini, commutatus est in vas electionis. Experta Magdalena, quae ut canit Ecclesia: *Post fluxum carnis scandala, fit ex lebetis phiala, in vas translata gloriae de vase contumeliae*. Tace ergo rursum ut ne dicas per te non stare, sed per Deum tantum, quod sis terra sterilis, spinosa, saxea, pervia; potes enim si velis emundare te ab istis impedimentis et evadere terra bona. *Non dicas;*